

pontificalibus lorica primus induit et mutato prepostero ordine mente et habitu ex clerico factus tyrannus in ipsa lorica dicto cicius exspiravit, sicque tocius impietatis conatus confusus conquievit. Erat enim ipsa Hirssawia tocius cenobialis discipline speculum et magistra, et quia porte inferi non prevaletbunt adversus eam, fundata enim erat super Cristum, id est petram, unde rivuli¹⁾ multi monastice discipline profluebant ad loca eciam longe posita, scilicet Erfordiam, Thuringiam, Saxoniam²⁾. Audiens mulier sancta ac prudentissima Paulina tot ac tanta bona de monasterio Hyrsawiensi, illuc una cum filio suo Wernhero iam monacho facto atque alia comitiva honesta tendebat, ut scilicet sibi abbatem ac prelatum ydoneum sue celle acquireret. Cum autem anno Domini 1107 iter versus Sueviam arripuisset et circa Herbipolim ad cenobium Swarcza devenisset, infirmitate, qua et defuncta est, ingravescente in eodem cenobio migravit pridie ydus Marcii. At filius Wernherus una cum aliis versus Hyrssaviam ivit et cum multis precibus virum omni laude dignum atque pastorem ydoneum ibidem, licet difficulter, impetravit.

Trithemius Ann., p. 342. Cum ergo moritura jam esset eadem Domina S. Paulina, vocati ad ejus transmigrationem Abbas Gerungus, Wernherus Monachus ejusdem famulae Dei filius, et reliqui fratres convenientes, ejusdem de corpore transitum precibus, et Dominici oblatione Sacramenti omnipotenti Deo, quanto poterant, devotius studuerunt commendare.

Postea vero quam anima illa Christo dilecta transmigrans ad coelos evolavit, in aeternum laetabunda cum Angelis, tulerunt corpus ejus³⁾, et in sarcophagum ligneum recludentes ad Ecclesiam Monasterii, quod ipsa fundaverat, sicut diximus, cum debito honore deportarunt, celebratisque ex more solemni devotione mortuorum exequiis ante altare S. Crucis honestissime tradiderunt sepulturae, ad cujus tumulum omnipotens Deus multa infirmis et in necessitatibus constitutis beneficia pluribus annis praestare consuevit. Ejus vita luculento sermone conscripta in eodem Coenobio habetur.

Nicolaus de Siegen (p. 297, 14 ed. Wegele). :Gerungus.: Hic fuit monachus Hirssawiensis probissimus, nacione Suevus ac cantor et scriptor eximius, Wylhelmi abbatis Hirssaugiensis gratissimus. Hic missus una cum sex fratribus usque Thuringiam. Hic cum ad cenobium Swarczach ad ancillam Christi Paulinam devenisset, illa resumpto spiritu — nam quia⁴⁾ jam migratura defecerat — viribusque qua poterat virtute collectis Deo gratias retulit, venientibus assurgit, missum pastorem mira alacritate et graciaram actione suscepit, ad Christum

1) P. 297 Wegele. 2) Fol. 157b. 3) P. 343. 4) L. 'quasi'. W.